

Heinrich Valentin Becker


**Rector Academiae Rostochiensis Henricvs Valentinvs Becker Phil. D. Et Prof. O.  
... Memoriam Resvrrectionis Iesv Christi Commendat : Simvl Ad Qvaestiones:  
Vtrvm Christvs Clavso Sepvlcro Svrrexerit? Et Clavsis Ianvis Discipvlorvm  
Conclave Intraverit? Pavcis Respondet**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1773?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877725160>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

1773. Ostern.

~~A-1256.~~ <sup>410.</sup>

M. 1773

RECTOR ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS  
**HENRICVS VALENTINVS BECKER**  
PHIL. D. ET PROF. O. ET AD. AED. IAC.  
ARCHIDIAC.

MEMORIAM  
**RESVRRECTIONIS IESV  
CHRISTI**  
COMMENDAT.

---

SIMVL AD QVAESTIONES:  
VTRVM CHRISTVS CLAVSO SEPVLRCRO SVRREXERIT?  
ET CLAVSIS IANVIS DISCIPVLORVM CONCLAVE INTRAVERIT?  
PAVCIS RESPONDET.



---

ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS

M. 1256 410

СИБЕРСКОГО ГУМАНИТАРИЙСКОГО УНИВЕРСИТЕТА  
САНКТ-ПЕТЕРБУРГСКОГО ГОСУДАРСТВЕННОГО УНИВЕРСИТЕТА

ИМЯЮЩИМИ  
СВОИ АЧИСТЫЕ ПРАЗДНИКИ  
ПРАЯНО

ТАДИЧИМСО

СИБЕРСКОГО ГУМАНИТАРИЙСКОГО УНИВЕРСИТЕТА  
САНКТ-ПЕТЕРБУРГСКОГО ГОСУДАРСТВЕННОГО УНИВЕРСИТЕТА  
САНКТ-ПЕТЕРБУРГСКОГО ГОСУДАРСТВЕННОГО УНИВЕРСИТЕТА  
САНКТ-ПЕТЕРБУРГСКОГО ГОСУДАРСТВЕННОГО УНИВЕРСИТЕТА  
САНКТ-ПЕТЕРБУРГСКОГО ГОСУДАРСТВЕННОГО УНИВЕРСИТЕТА



РОСТОВЧИ  
САНКТ-ПЕТЕРБУРГСКАЯ АCADEMIA

1790



Superuacuum laborem suscepisse videar, cum quaestiones moueo, de quibus saepius disputatum est. Immo fortasse nonnulli temerarias vocauerint has quaestiones, sententiam, *Christum clauso sepulcro et grandi lapide munito, resurrexisse, atque clavis ianuis discipulorum conclavis intrasse*, acriter a maioribus nostris defensam, ac ab obiectationibus Socinianorum et Reformatorum vindicatam, dogma ecclesiae Lutheranae, quod nemo orthodoxorum in dubium vocare debet, reputantes. Ego quidem valde dubito, num haec hypothesis rite demonstrata sit, aut solide vñquam possit probari; nec eam credo pro dogmate ecclesiae nostraे merito esse habendam. Neque omnino superuacaneum puto hasce quaestiones de nouo explicare: quippe haud raro tempore Paschatos e cathedra ecclesiastica haec narrantur miracula, quae tacet verbum Dei. Maximum miraculum, et testimonium omnipotentiae Patris Christum resuscitantis, atque omnipotentiae Filii propria vi ac virtute in vitam redeuntis, est resurrectio Sospitoris nostri; nec opus est, vt addantur miracula, de quibus dubii saltim sumus. Historia resurrectionis Christi, vti ab Euangelistis narratur, gloriam Seruatoris nostri adeo clare manifestat, et eum vñigenitum Dei Filium esse tam solide demonstrat, vt non opus sit in eo gloriam

riam Christi quaerere, quod corpore suo viuificato in lignum et saxa et alia solida penetrauerit corpora. Prudentia pastora lis requirit, ut caute coram concione loquamur, non ultra Scripturam sapiamus, nec quicquam doceamus, nisi quod certo ntititur fundamento; ne hypotheses, leuioribus superstructas rationibus, non secus ac si veritates indubitatae essent, defen dentes, occasionem aliis praebeamus, nomen argumenti homi letici ludibrio habendi.

Patres ecclesiae sententiae huic dubiae suum adiecisse calculum, satis notum est. Frustra autem quaeres in scriptis Patrum Apostolicorum yllum huius sententiae vestigium, nisi IVSTINO MARTYRI tribueris *Constitutiones apostolicas* sub eius nomine editas; quem quidem librum suppositicum esse CAVE (*Chist. litt. scriptor. eccl.*) DV PIN (*nouuelle bibl. des aut. eccl.*) SCVLTETVS (*medulla Theol. Patrum*) FABRICIVS (*biblioth. graeca*) luculenter ostenderunt. Sed, qui Saeculo IV. inclaruerunt, GREGORIVM NYSSENVM (*Orat. 2. de resurr.*) GREGORIVM NAZIANZENVM (*de Christo pat.*) AMBROSIUM (*in Lucam*) CHRYSOSTOMVM (*Com. in Math.*) HIERONYMVM (*Epist. ad Hedib.*); et saeculo V. AVGUSTI NUM (*Serm. de temp. et de cogn. ver. vit.*) atque ISIDORVM PELVSIOTAM Monachum (*Epist.*) huic sententiae fauisse nouimus. Sequentibus saeculis plures, quorum nomina SVICERVS (*thes. eccles.*) et WHITBY (*de patr. comment.*) dederunt, hanc hypothesisin comprobarunt, a quibus Theologi Pontificiorum eam accperunt, et strenue hunc vsque diem defendunt. Ecclesiae Reformatae Theologi statim ab eo tempore, quo veritates diuinæ ab erroribus et inuentis humanis purgabantur, sententiam, Christum clauso sepulcro exiisse, et clausis ianuis ad discipulos ingressum esse, repudiarunt. HEV MANNVS BVRCERO honorem tribuit, quod (*in enarr. in quatuor euangel.*) vulgarem sententiam primus errorem esse declarauerit. Tacere tamen non debuisset, CALVINVM \*) in disputacione

\*) „Quod Christum exiisse e sepulcro clauso, et clausis ianuis ad discipulos ingressum esse obiiciunt, nihilomagis eorum errori suffragatur.

tione de praesentia corporis Christi in S. Coena, sententiae communiter receptae contradixisse, quod, me quidem iudice, vera fuit causa, quare Theologi nostrae Ecclesiae vulgarem opinionem propagarunt. CALVINI asseclae et cum illis Theologi Remonstrantes uno ore defendunt, aperto sepulcro Christum exiisse, et apertis ianuis conclave intrasse. Legant, qui velint, LAMPIVM (*explic. Ioan.*) BEAVSORE (*contin. operis SAVRINI*) et LIMBORCHIVM (*Theol. Christ.*) viros solida eruditione et ingenii acumine celeberrimos, quos honoris causa nomino. Socinianos Patrum sententiam haud defendere, me tacente, quiuis facile credit. Non solum SMALCIVS, OSTERRODVVS, WOLZOGENIVS, alii eam impugnarunt, sed et in Symbolo suo, *Catechismo Racouensi*, farentur: „Christum in eo prorsus corpore, in quo cruci adfixus fuit, resurrexisse, quod, illo in caelum ascidente, factum est „incorruptibile, gloriosum, potens, spirituale, quum factus sit „in spiritum viuificantem.»

Ex nostris Theologis viri magni nominis sententiam memoratam defendere eamque ab obiectionibus aliter sentientium vindicare laborarunt. Nomina CHEMNITII, GERHARDI, (*harm. euang. et disp. de ref. [Christi]*) AEG. HVNNII, MENZERI, BROCHMANNI, FEVERBORNII, ECKARDI, DANHAVERI, DORSCHEI, SCHERZERI, QVENSTEDII, (in scriptis systematicis) NEVMANNI (*Disp. de fidelium cum Christo μεταχρηματικων*) aliorum, veneror. Sed, licet hi omnes hypothesin defendant: eam tamen, dogma ecclesiae Lutheranae iure meritoque vocari, non opinor. Nam I) non ab

„tur. Nam sicut aqua non secus ac solidum pavimentum, Christo iter praebuit, super lacum ambulanti, ita nihil mirum, si ad eius accusum se flexit lapidis durities. Etsi probabilius est, eius imperio amotum fuisse lapidem, et mox, transitu dato, in suum locum rediisse. Nec ianuis clausis intrare, tantundem valet ac penetrare per solidam materiam, sed sibi aditum patefacere diuina virtute, ut repente steterit inter suos discipulos, plane admirabili modo, quum obseratae essent fores. *Inst. christ. Rel. Lib. 4. cap. 17. Sect. 29.*»

ab Apostolorum tempore, sed a saeculo quarto in Ecclesia fuit propagata; nec omnes, sed nonnullos tantum Patres quarti et sequentium saeculorum ita sentientes deprehendimus: 2) neque in libris nostris normalibus dogma ecclesiae Lutheranae haec sententia est declarata: 3) a permultis Theologis, quibus laus orthodoxiae denegari nequit, in dubium est vocata. WEISMANNVS enim atque ~~BVDDEV~~ se hac de quaestione intra silentium tenent; ad quorum exempla alii eam vel silentio praetereunt, vel disertis verbis negarunt. ZELTNERVM, PFAFFIVM, FEVERLINVM, MOSHEMIVM, BAVMGARTENIVM, vt alios taceam, ex recentioribus honoris causa nomino, quum facile mihi esset augere catalogum nominum eruditione theologica celeberrimorum. Qui nihil feci haeresin crederent, de veritate huius sententiae dubitare, et ita Caluinianis, immo Socinianis faueri opinarentur, sibi sapiant, mihi saltem animus non est cum ipsis disputare.

Sed ad rem. In hac controuersia nulla de eo quaestio est: vtrum Seruator sanctissimus pro sua omnipotentia ex sepulcro prodire potuerit, licet non deuolutum fuisse saxum ostium cludens; ac conclaue intrare potuerit, ianuis non aperitis? Summam Seruotoris nostri omnipotentiam supplex veneror: ignoro tamen, quae per eam sunt possibilia. Quum Christus humilis adhuc et seruus inter homines versatus, in mare ambularet, nec corporis sui grauitas naturalis impeditret, quo minus super aquam haud secus ac super solidum pavimentum gressus faceret: vtique eum satis potentem credo ad ea facienda, quae plane concipere nequeo. Temerarium foret negare miraculum quoddam Christo fuisse possibile; sed, determinare, quid Deus mediante miraculo efficere valeat, aequem temerarium puto. Interim, quum de rebus facti nobis sermo est, nec de eo quod possibile foret: nihil affirmare decet, nisi de quo certi sumus atque conuicti.

Quaeramus itaque, quo fundamento sententia a nobis sub examen vocanda nitatur, et quid tanquam ansam praebeuerit

buerit, multi ut Theologi eam pro aris et focis defendant: eos enim, qui cum illis sentiunt, quoniam iurarunt in verba Magistrorum, omnino non curo. Nisi me omnia fallant, in hanc inciderunt illi sententiam, falsa ratiocinatione decepti. *Primo*, extra omnem dubitationem esse ponunt, *tenuitatem*, ut dicunt, (alii agilitatem vocant) seu *potentiam solidam penetrandi*, poros nimirum et interstitia solidorum corporum; aut ut alii malunt, *penetrabilitatem* seu *potentiam eundem plane locum, quem solidae solidorum corporum partes, occupandi*, attributum esse corporis glorificati eorum qui a mortuis resuscitantur. *Secundo* non dubitant, quin Seruator noster rediuius *corpus glorificatum* e sepulcro sumferit. Inde colligunt *tertio*: non deuolutum esse saxum ostio sepulcri, antequam Christus prodisset, nec apertas fuisse fores, quum Seruator conlaue ingrederetur. Verum enim vero, hic modus argumentandi nemini satis attentandi se probabit, quum prior propositio antecedentis preclaro assumitur; posterior non est probata; et consequentia non rite se habet.

I) Ecquis affirmare ausus fuerit, se naturam corporis glorificati nosse? Nisi meritis coniecturis atque ingenii lusibus velimus indulgere: ignorantiam huius rei fateamur necessaria est. Si quae de corpore glorificato nouimus, ex unico Pauli effato I Cor. XV. 35—50. petenda sunt: quae quidem verba nemo adhuc interpretum in eam posuit lucem, ut natura corporis glorificati nota nobis reddita sit atque perspecta. Equidem, interpretatio MOSHEMI multis se probauit: cuius tamen eam legenti statim apparebit, Virum acutissimum non potuisse omnia enodare, saepeque dubitasse: ecquis enim, quae ignorat, explicare poterit? Εγέρεται ἐν αὐθαρσίᾳ, ἐν δόξῃ ἐν δυνάμει σώμα πνευματικὸν, Φορετομεν τὴν εἰκόνα τῆς ἐπιφανίης. Σαρξ τὴν αἵρετα βασιλέαν θεῖ κληρονομήσαι γέδυνται. Longe aliis et melioris conditionis corpus glorificatum futurum esse ac corpora nostra sunt mortalia, verba haec legenti satis patet: sed penetrabile illud fore (quod naturae corporis naturalis plane aduersatur, et ideae corporis huiusque naturae congruere haud videtur) aut *tenuet* et *agile*, ut solida queat penetrare,

trare, quemadmodum radii solares vitrum, aut aer lignum et alia corpora poris gaudentia penetrat, in descriptione Paulina haud deprehendo. Εγέρται dicunt σῶμα πνευματικόν. Sed quaeſo, quid est σῶμα πνευματικόν? num corpus quod per Saxa penetrare potest? num haec de spiritibus constant, quod ita ſibi iter faciant? num ſatis nouimus naturam spirituum, ut affectiones corporum spiritualium definire queamus? MOSHEMIVS recte ſentit, longe aliud voce πνευματικὸν indicari, quam corpus fore tenue ac agile; vtrum vero ipſius interpretatione lectori ſatisfaciat, alli iudicent. \*)

II) Nondum ſatis probatum eſſe dixi, quod Sanctissimus Sospiſtor, rediuius corpus ſuum glorificatum ex ſepulcro ſumferit: licet plurimi de eo omnino non dubitent. Ad Phil. III. 20. 21. omnes ita ſentientes prouocant, quod effatum luce clarius, ſcilicet, oſtendit, Seruatorem ſtatiſ post reſurrectionem forma glorioſa, immo luente, corporis apparuſſe, vt docet Bibliotheca Bremeriſ P. V. pag. 224. Κύριος Ἰησος χριſτος μεταχυματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως πρώ, ἐν τῷ γενέθλῳ αὐτῷ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτῷ. Haec mea autem eſſe ſententia, nihil hiſ verbis doceri, niſi corpus Christi iam eſſe σῶμα τῆς δόξης, et noſtra corpora aliquando ſimilia futura eſſe corpori ipſius glorioſo. Illud autem erat in quaefione: vtrum corpus Christi, ſtatiſ post viuificationem

σῶμα

\*) „Der geiſtliche Leib, muſſ ein Leib ſeyn, der gereinigte Sinnen hat, „der die Seele in ihrer Arbeit und Andacht nicht ſtöret, der dem Geiſte keine unvollkommene und unrichtige Begriffe, dem Willen kei- „ne unreine und ſündliche Affeſten und Begierden beybringen und „mittheilen kan. — In diesem verklärten Leibe iſt eine geiſtliche „Kraft, die durch ſich ſelbst den Leib erhält und unſterblich macht. „— Er wird keines äuſſerlichen Mittels zu ſeiner Erhaltung und „zu ſeinem Leben bedürfen. Sein Geiſt, ſein lebendigmachender „Geiſt, wird in ihm ſelbst wohnen. — Daher wird auch das Le- „ben dieses Leibes vnd der Leib ſelbſten, geiſtlich ſeyn, ein Leben „das der Seelen nicht hinderlich fällt, das die Arbeiten und Gedan- „ken des Geiſtes mehr befördert, als ſtöret, das ſelbst zu dem Le- „ben oder zu der Freyheit des Geiſtes das ſeine beyträgt, Er- „klär. p. 997. 999.

*σῶμα τῆς δόλης* fuerit? Negare equidem non audeo, corpus Christi e mortuis resuscitati fuisse immortale, Rom. VI. 9. Apoc. I. 18., nulla amplius perpessione et imbecillitate obnoxium, quod cibo, potu et somno ad sustentationem vitae haud indiguerit. Verum enim vero, quemadmodum Seruator a mortuis resurgens ad maius honoris fastigium exaltatus est, donec ad dexteram Patris eueheretur; ita corpus ipsius sanctissimum plenam accepisse gloriam, quum super omnia coela ascenderet, persuasum mihi habeo. Corporis enim Christi rediuiui maiorem fuisse similitudinem cum corporibus nostris naturalibus, ac de corpore glorificato cogitari potest, ingentem habet veritatis speciem. Saepius Seruator discipulis suis confirmauit, se corpus suum, idem quod in cruce mortuum erat, ex sepulcro sumfisse; non spiritum, spectrum aut genium, sed verum hominem, vero et naturali corpore praeditum cum illis loqui: vulnerum in manibus pedibusque vestigia et latus transfoſſum illis ostendit: voluit ut amplectentur corpus, quo sensu duce carnem et ossa corporis sui cognoscerent: edit coram illis, quemadmodum homo naturalis solet. Luc. XXIV, 36 - 43. Ioh. XX, 19. 20. 26. 27. I Ioh. I, 1. Quae omnia neque concipere, neque cum sinceritate infallibilique veracitate Seruatoris possum coniungere, quando cogito, corpus Christi nihilo secius fuisse glorificatum, carne atque ossibus, quae palpari possunt, haud constans, et longe alias conditionis ac corpus hominis naturale.

Magnum, aliter sentientes, suaे sententiae in eo inuenisse fundamentum sibi persuadent, quod Christus *euanuerit* Luc. XXIV, 31. *αὐτὸς ἐφαντος εὑέντος απ' αὐτῶν:* quippe *euanescere* non corporis naturalis esset; sed spectri, spiritus seu angeli. Iudic. XIII, 21. Sed satis superque ostenderunt exegetae, in verbis Lucae nullum huius sententiae praesidium esse. HEVMANNVS et quos allegat (*in explic. N. T.*) HACKSPANNVS, PISCATOR, CLERICVS, reliqui in eo consentiunt, nihil nisi subitanum abitum Seruatoris his verbis indigitari. Idem sentit BEAVSOBRE? (*remarques sur le N. T.*) „Je dis donc, que tout ce que Luc a vou-

„lu dire , c'est que Iesus se retira subitement , et que ses di-  
sciples le perdirent de vue. C'est tout ce que signifie  
„*τί Φαντος εγένετο*, il s'eloigna d'eux , et ils ne le virent plus“  
**Ia SCHACHTIVS** (*harm. hist. resurr. Christi p. 160*) Christum  
discipulis non animaduertentibus discessisse , idque hoc mo-  
do contigisse , opinatur , vt ille subito et sine valedictione  
abierit , et quidem statim , postquam ab amicis erat cogni-  
tus : hos autem oculis in terram defixis stupuisse , vt quae  
agerentur minus sentirent. Et qui primus omnium nomi-  
nari debuisset **KYPKE** (*in obseru.*) vocem *ἄφαντος* non cum  
verbo *εγένετο* sed cum *ἀντός* construit , dictionem *γένεσιν*  
*ἀπὸ τίνος* discedere ab aliquo apud Graecos significare docet ,  
verbaque Lucae ita vertit : et ille discessit ab illis ita ut non  
videretur. Conf. **Analesta KOECHERI** ad h. l. Alii Christum  
inuisibilem redditum esse opinantur , quum oculos discipulo-  
rum retineret : quorum mentem exprimit **LIMBORCHIVS**  
(*Theol. Christ.*) „Non quod corpus ipsius , ab illis non re-  
cedens , inconspicuum sit redditum ; sed quia ipse subito ex  
illorum aspectu fuerit sublatus , aut oculi eorum retenti , vt  
quemadmodum antea ipsum non agnouerant , ita nunc di-  
scendentem non animaduerterint.“ Nisi breuitati mihi stu-  
dendum esset , rationes adferrem , quare verba *οὐ φάλμοι αυτῶν*  
*ἰηρατήντο* non de mirabili operatione in oculos , qualem  
**Gen. XIX , II. 2 Reg. VI , 18.** legimus , sed de defectu  
attentionis discipulorum interpretor. Videant interim Le-  
ctores quae **HEVMANNVS** ad h. l. annotauit. Sufficit mihi ,  
quod ita sentientes in re ipsa cum laudatis interpretibus con-  
sentiant , et Christum haud recedentem inconspicuum fuisse  
redditum , negent. Sublato hoc contrariae sententiae fun-  
damento concedendum erit , opinionem , Christum post re-  
surrectionem in corpore glorificato et coelesti sese homi-  
nibus manifestasse , non adeo certam esse , vt de ea nullus  
amplius dubitandi sit locus.

III) Sed si omnia concederemus , quae a dissentientibus  
precario adsumuntur : haec tamen non certum faciunt , Chri-  
stum

stum clauso sepulcro resurrexisse, et clausis ianuis conclave intrasse. Nouimus ex Sacris, die extremi iudicii corpora nostra gloria esse futura, quamprimum omnipotens iudex mortuorum atque viuentium nos in vitam reuocauerit. I Cor. XV, 52. Nihilo fecius sepulcra aperientur, quando mortui resurgent. Io. V, 28. 29. conf. Ez. 37, 12-14. Quid ergo impedit, quo minus credamus, per voluntatem omnipotentis Salvatoris saxum a sepulcro deuolutum esse, quum ille prodiret, et ianuas apertas fuisse, quum conclave intraret; aut si maus, angelum sepulcrum, et ianitorem fores aperuisse. Sola historia euangelica de hac re audienda est, et quae non disertis verbis docet, merae sunt conjecturae, de quibus dubitare, immo quas repudiare licet.

Si Matthaeum resurrectionem Christi narrantem audimus, ne verbo quidem indicat, clauso sepulcro Seruatorem surrexisse; et certe, admirandum hoc factum ille haud tacuisse. Noui, aliter sentientes comma 2dum Cap. XXVIII, allegare: *Et ecce, terrae motus factus est magnus, Angelus enim Domini descendens e coelo, accedens euoluit lapidem ab ostio et sedet supra illum.* Persuasum sibi habent, terrae motum et deuolutionem lapidis eo tempore accidisse, quo mulieres sepulcrum adirent: ex quo colligunt, Christum, quum iam ex sepulcro prodisset, antequam mulieres aduentarent, (v. 6.) ante lapidis deuolutionem a mortuis surrexisse. Respondeo autem 1) Nunquam ausae fuissent mulieres sepulcro propinquare, si illud stipatum militibus vidissent, aut custodes terrore pleni iis in via venissent obuiam. 2) Ita contradicunt dissentientes reliquis Euangelistis, qui vno ore narrant, deuolutum lapidem et apertum sepulcrum mulieres inuenisse; nec mentionem faciunt custodum, qui approximantibus mulieribus, iam abierant. 3) Necesse itaque erit, vt verbis Matthei significationem plusquam perfecti tribuamus, quemadmodum WOLFIUS (*in Curiis phil.*) monuit: et, quod addam, commata 2. 3. et 4. parenthesi includamus. Iam nihil impedit, quo minus statuamus, deuolutionem lapidis mediante angelo, eo ipso tempore, quo

Seruator gloria plenus sepulcrum deferebat, antequam mulieres viam ingressae essent, factam fuisse. Sepulcrum aperatum mulieres inuenerunt, et angeli nuncium eis dederunt, Christum e mortuis resurrexisse. Aduentum angelorum de coelis et deuolutionem saxi terrae motus comitabatur: insolitum enim Deo non est terrae motu, ac pauore, quem excitare solet, hominum animos praeparare, ut cum reuerentia reuelationes suas recipient. Proinde sententia, Seruatorem ex sepulcro exiisse, antequam terra moueretur, angelii e coelo descenderent, et saxum ab ostio deuolueretur, non in narrationibus Euangelistarum, sed in ingenio hominum, admiranda atque miraculis plena vndeique quaerentium, fundamentum habet.

Ne autem dissentientibus iniurius videar, vnicum eorum, quod attendi meretur, argumentum sub examen reuecabo: licet, quum dogmaticum est, in rebus facti parum pondaris habeat. „Nisi sua virtute, dicunt, citra angeli, sepulcrum aperientis, operam e sepulcro exiisset Seruator, resurrectione non foret argumentum, Christum esse vnigenitum Dei Filium Rom. I. 2, quum nos omnes virtute Dei et opera angelorum sepuleris nostris euocabimur: et plusculi e mortuis cum Christo resurgentem resurrexerunt.“ Haec tenus illi. Facilis est responsio: 1) Angeli lapidem de sepulcro amouerunt, ut corpus Christi exinde egredi posset: non quod Pater omnipotens angelorum ministerio, aut Christus eorum opera indiguerit. Sine angelorum opera saxum deuoluere potuisset Seruator, cui omnis potestas in coelis et terra erat demandata. Sed angeli descenderunt de celo, ut ita maiestatem suam Deus ostendat, Filiumque suum Iesum angelorum Dominum esse manifestet, et angeli resurrectionis Christi testes sint, non tantum apud mulieres, sed et coelesti suo fulgore apud custodes, qui gloria illa coelesti visa, mortuorum instar perterriti aufergerunt. 2) Resurrectione Christi est argumentum, eum esse vnigenitum Dei Filium, non quia corpore suo per saxa penetravit, sed quoniam ita impleta sunt vaticinia Prophetarum; ita Christus antedixerat, se tertio die in vitam esse redditurum, atque

atque hoc criterium, ex quo cognosci posset, quod sit Messias, posuerat; et ita gloria Patris, hoc miraculo de Christo testantis, fuit manifestata. 3) Quanta quaeſo diſſerentia noſtram in ter reſurrectionem futuram et reſurrectionem Christi! licet ſepulcrum eius ab angelis aequa fuit aperatum, ac noſtra all quando ſepulcra ante reſurrectionem aperientur. Sua vi at que virtute Christus in vitam rediit, Io. II. 19. X. 18. A&t. I. 4. nos autem, niſi Saluator nos in vitam reuocaret, non exper giceremur. Glorioe itaque ſanctissimi Soſpitatoris, cui laus et gloria in aeternum! nihil denegamus, eum ex ſepulcro ab angelis aperto exiſſe statuentes.

Iam ad alteram quaeſtionem: vtrum Christus clauſas ianuas penetrauerit, quum in coetum diſcipulorum ingredetur? Hoc ſibi prorsus periuafum habent illi, a quibus diſſen tio, et strenue defendunt, conſpicuam eſſe gloriam corporis Christi rediuiui, quod, quum diſcipuli ex timore Iudeorum fores obſerauerint, nihiло ſecius ſine foribus apertiſ conclave intrauerit, et in medio eorum ſteterit Seruator. Allegant verba Io. XX. 19. Am Abend aber delfelbigen Sabbaths, da die Jünger versamlet, vnd die Thüren verschloſſen waren, aus Furcht vor den Iuden, kam Iefus, vnd trat mitten ein, vnd ſpricht zu ihnen: Friede fey mit euch. Sed praeftat ipſum audire Ioannem. Οὐσης ἐν ὁψίας τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, καὶ τῶν Θυρῶν πειλεισμένων, ὅπερ ἦταν οἱ μαθηταὶ συνηγένειοι διὰ τὸν Φόβον τῶν ἰudeῶν, ἥλθεν ὁ Ἰησοῦς καὶ ἐσῆνε τὸ μέτον, καὶ λέγει αὐτοῖς, εἰρήνη ὑμῖν. His verbis attendentि appetat: 1) Euangelistam eius nullam feciſſe mentionem, quod diſcipuli ex timore fores obſerauerint. Congregati erant ex timore Iudeorum, quod docet verborum intuitus: nec diſſi cile erit explicatu, quare formidine pleni conuenierint. Non audebant nimirum domicilia ſua adire, ne in manus Iudeo rum, infidias ipſis ſtruuentium, caderent. Conuenierunt itaque loco quodam incognito, platea deuia, domo, qua congregari haud solebant, vbi hostes eos haud facile quaererent; ibi de re mediis euadendi e periculo consultabant. Libere in hoc con tentu de Christo loquebantur, precibusq[ue] vnitis Deum im plora-

plorabant, vt imminens vitae periculum auerteret. Sed quam  
quaeso, inuenissent securitatem, si ex formidine fores domus  
aut ostium conclaui obserassent? Rectissime LANGIVS (*euang.*  
*Licht vnd Recht*) obseruat, obseratas fores eos ab insultibus  
et adgressu Iudeorum non liberaturas fuisse. Nisi ignorassent  
hostes domum conuentus, effregissent fores, si animo isto  
fuissent, discipulos ducere captiuos. 2) Sub iudice adhuc lis  
erit, vtrum ianuae domus aut ostium conclaui, vbi conuene-  
rant discipuli, clausa fuerint. Vulgaris enim coniunctio ver-  
borum: τὰν Θυρῶν κεκλεισμένων ὅπερ ἡσαν οἱ μαθηταὶ συνηγούμενοι  
erronea est: potius ita construi debent verba ὅπερ ἡσαν οἱ μα-  
θηταὶ συνηγούμενοι ἥλθεν οἱ Ιησοῦς. Ait vero, concedere possum,  
fores huius domus et conclaui fuisse clausas: nullum tamen  
haec circumstantia praebet fundamentum defendendi, san-  
ctissimum Seruatorem, foribus non apertis, ad discipulos ac-  
cessisse. Ioannes hoc, quod vulgo creditur, notatu dignissi-  
mum miraculum omnino tacet, nec ait Christum venisse διὰ Θυρῶν  
κεκλεισμένων sed τὰν Θυρῶν κεκλεισμένων postquam clausae essent  
ianuae: hinc non negat fores Christo intranti fuisse apertas. For-  
san ianitor aut ianitrix, vt SCHACHTIVS (*in harmon.*) putat, in scis  
discipulis nec satis attendantibus, qnia cum duobus qui ex oppido  
Emaus reuersi erant, alta voce loquebantur. Luc. XXIV, 35. 36.  
Christo pulsanti aperuit. Aperuerat saltim Emauticis, paulo ante  
Christum, aduentantibus, nisi crederes, et hosce non apertis  
foribus intrasse. Aut si magis arridet LAMPII sententia: fores,  
post redditum Emauticorum nondum clausae erant, et Chri-  
stus intrauit, apertis domus et conclaui foribus. Inopinatus  
itaque Christi aduentus vnica erat caufsa consternationis disci-  
pulorum. 3) Mihi autem maxime veri simile est, de ianuis  
et ostiis domus congregationis discipulorum Ioanni non esse  
sermonem. Dicitio τὰν Θυρῶν κεκλεισμένων indicat vesperam,  
quo tempore portas urbis clauduntcives, et ostiis domuum pes-  
fulos obdunt. In perantiquis temporibus dictio haec solle-  
mnis fuit, quia sollempne erat, portas claudere, quando vespe-  
rascit Ios. II. 5. et hodie de iis, qui pervesperi adventant di-  
cimus, quod venerint *beym Thorschluß*. Adsentiri itaque debeo

HEIN-

HEINSIO (*excerc. ad N. T.*) ZELTNERO (*Bibl. Altorff*) PFAFFIO  
*(corat. Acad.)* HEVMANNO (*Erkl. des N. T.*) MOLDERHAVERO  
*(Erleut. der schw. schiftst.)* reliquis, qui tempus vespertinum intel-  
ligendum esse sentiunt: nec ea quae LILIENTHAL (*gute Sache XI*  
*Th.*) huic interpretationi obiecit, me in aliam mentem reducere  
valuerunt. Tempore vespertino ὥρῃς οἴψιας, immo quum iam  
obscurasset, καὶ τῷ θυρῶν κεκλεισμένῳ, venit Iesus. Nec longe  
ante discipulos conueuisse probabile est, qui formidine impe-  
diebantur, quominus publice interdiu in plateis irent: nisi for-  
san haec domus post mortem Seruatoris consuetum eorum  
fuerit diuersorum, quo se occultabant. Concedere tamen  
possum, fores huius domus cum portis vrbis et reliquarum  
domuum foribus etiam fuisse obseratas, quum Iesus veniret.  
A ianitore, insciis Apostolis, apertae sunt fores; aut si mauis,  
ipse Seruator virtute diuina aequa aperuit obseratas fores, ac  
angelus olim ianuas claustris Act. V. 19. XII. 10. De admiranda  
autem et plane inaudita re, Christum per medias fores  
non apertas transisse, ne vllum quidem in narratione Ioannis  
adest vestigium.

Satis de hypothesi omni fundamento destituta. vos au-  
tem CIVES HON. rogo, vt missis hisce praeiudicatis opinio-  
nibus, resurrectionem Seruatoris a mortuis diligentissime et  
pia mente perpendatis. Ipsum mirandum factum adeo cer-  
tum esse quam quod certissimum a DITTONE, SCHERLO-  
CKIO, WHESTIO scriptis, quae postquam ex Anglicano  
idiomate in Germanicam translata sunt linguam, in omnium  
manibus sunt, est demonstratum. Taceo Auctores, quos  
enarravit FABRICIVS, et merita tantum praefantissimi  
LESSII, in libro, qui nemini VESTRVM ignotus esse deberet,  
praedico. A veritate autem historiae resurrectionis Christi  
extra omnem dubitationem positae, omnis nostra salus de-  
pendet. Quum Iesus a mortuis resurrexit: nemo amplius  
dubitare poterit, eum esse Filium Dei vnigenitum, ea propter  
a Deo missum, vt a peccatis nos liberaret; mortem ipsius  
peccatorum nostrorum esse expiationem; veram atque diuini-  
tus reuelatam esse religionem, quam docuit, et Apostolos eam do-  
cere

cere iussit; fidem nomini ipsius habitam vnicum esse salutis remedium , et nos aliquando ex sepulcris prodituros esse, vt aeternum cum ipso viuamus. Memores, quaeso, sitis obligationis Christianorum resurrectione Sosipatoris praefiguratae , vt, sicut resuscitatus est Christus ex mortuis , sic etiam nos in nouitate vitae ambulemus Rom. VI. 4. Momentote itaque Iesu Christi, qui suscitatus est ex mortuis 2 Tim. I. 8. Diebus hisce festis non ore tantum paeanas in laudem Seruatoris canatis, sed et per hos dies, immo totam per vitam pie et sancte viuatis, ut virtutes enumereretis EIVS, qui e tenebris vos vocavit in admirabilem suam lucem, I Pet. I. 9.

P. P.

S V B   S I G I L L O   R E C T O R I S ,  
F E R I A   I .   P A S C H A L I ,

M D C C L X X I I I .






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn877725160/phys\\_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877725160/phys_0019)

DFG



HEINSIO (*excer. ad N. T.*) ZELTNERO (*Bibl. Altorff*) PFAFFIO  
(*corat. Acad.*) HEVMANNO (*Erkl. des N. T.*) MOLDERHAVERO  
(*Erleut. der schwe schiftst.*) reliquis, qui tempus vespertinum intel-  
ligendum esse sentiunt: nec ea quae LILIENTHAL (*gute Sache XI*  
*Th.*) huic interpretationi obiecit, me in aliam mentem reducere  
valuerunt. Tempore vespertino οὐτης οἰψίας, immo quum iam  
obscurasset, καὶ τὸν θυρῶν κεκλεισμένων, venit Iesus. Nec longe  
ante discipulos conueuisse probabile est, qui formidine impe-  
diebantur, quominus publice interdiu in plateis irent: nisi for-  
san haec domus post mortem Seruatoris consuetum eorum  
fuerit diuersorum, quo se occultabant. Concedere tamen  
possum, fores huius domus cum portis vrbis et reliquarum  
domuum foribus etiam fuisse obseratas, quum Iesus veniret.  
A ianitore, insciis Apostolis, apertae sunt fores; aut si mauis,  
ipse Seruator virtute diuina aequa aperuit obseratas fores, ac  
angelus olim ianuas claustris Act. V. 19. XII. 10. De admiranda  
autem et plane inaudita re, Christum per medias fores  
non apertas transiisse, ne vllum quidem in narratione Ioannis  
adest vestigium.

Satis de hypothesi omni fundamento destituta. vos au-  
tem CIVES HON. rogo, vt missis hisce praeiudicatis opinio-  
nibus, resurrectionem Seruatoris a mortuis diligentissime et  
pia mente perpendatis. Ipsum mirandum factum adeo cer-  
tum esse quam quod certissimum a DITTONE, SCHERLO-  
CKIO, WHESTIO scriptis, quae postquam ex Anglicano  
idiomate in Germanicam translata sunt linguam, in omnium  
manibus sunt, est demonstratum. Taceo Auctores, quos  
enarravit FABRICIVS, et merita tantum praefantissimi  
LESSII, in libro, qui nemini VESTRVM ignotus esse debet,  
praedico. A veritate autem historiae resurrectionis Christi  
extra omnem dubitationem positae, omnis nostra salus de-  
pendet. Quum Iesus a mortuis resurrexit: nemo amplius  
dubitare poterit, eum esse Filium Dei vnigenitum, ea propter  
a Deo missum, vt a peccatis nos liberaret; mortem ipsius  
peccatorum nostrorum esse expiationem; veram atque diuini-  
tus reuelatam esse religionem, quam docuit, et Apostoloseam do-  
cere




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 170